



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

XI. Ad sollicitos, & Christianos Parentes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](#)

## EXHORTATIUNCULA XI.

## Ad sollicitos &amp; Christianos Parentes.

## I.

**V**irorum optime! S. Paulus hæc vobis vult innui: Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior. Omnia relinquantur, modo filii salventur! Secus vobis illud Jobi imputabitur: *Duratur ad filios, quasi non sint sui.* O misera parentum fors! Vitam dederunt: animas negligant? Hinc querelæ D. Augustini: Servant imaginem Cæsaris impressam in nummis: & non servant imaginem Creatoris impressam in anima. Manhu! quid hoc?

*Instructio meritoria,*

Commendemus filios, & filias singulis diebus sacratissimæ de Jesu, Maria, & Josepho familiæ, totique Marianæ consanguinitati, ac in hujus venerationem recitemus Litanias de tantis Personis. Ab his ò quæ non speranda filiorum educatio, & domesticorum protectio!

## II.

**P**ater sollicite! noverit utique: *Longum iter per præcepta; breve, & efficax per exempla.* Nihil præstiterit gratius Deo, nihil & sibi, & domui suæ utilius, quàm si bonô exemplō pietatem persuaserit esse suavissimam. O te Patrem felicissimum, si sancto vivendi instituto consulas saluti domesticorum, pro quibus est mortuus Christus, & quibus sine te fortè Jesu passio

Passio, & sanguis non profuisset. Heu! quid  
dico? Parenti dixi. satis est.

*Instructio meritoria.*

Stimulum ut habeant ad virtutem domestici,  
preces matutinas, mensales, ad salutationes An-  
gelicas, & nocturnas erectis manibūs, & flexis  
genibūs ut persolvant, liberè jubeamus, &  
pari pietate præluceamus. *Efficacius enim vitæ*  
*(teste Cypriano) quam lingua testimonium. Ha-*  
*bent & opera suam vocem, tacente lingua.*

III.

**S**alus infantium est lucrum parentum. O quale  
hoc consolatorium Magni Hieronymi effa-  
tum! Prudens filius est gloria Patris. Nullum  
timendum conscientiæ tormentum, ubi non  
deficit cura parentum. In filiis, ait Ecclesiasti-  
cus, cognoscitur vir. Pater! ò Mater! nolite  
parcere labori! nolite curæ & sollicitudini! Ab  
his pendet gloria Dei, gloria boni Nominis,  
gloria æternæ felicitatis.

*Instructio meritoria.*

Summa, & consummata scientia est, ad leges  
Christianæ virtutis educare domesticos! Sed  
unde hæc nobis? Per Mariam impetrabitur, si  
singulis Illius Profestis, atque diebus sabbathi-  
nis ad noctem cum tota familia S. Rosarium  
cum Lytaniis Lauretanis devotissimè flexis ge-  
nibūs orandum constituerimus, ubi Nomen re-  
sonat Mariæ, ibi exulat, & repellitur infelix, &  
miserum Væ Evæ.

II

EX-